





BEATISSIMVM OBITVM
 VIRI
 MAGNIFICI CONSVLTISSIMI ATQVE
 EXCELLENTISSIMI
 DOMINI
 GODOFREDI
 SVEVI

ICTI CELEBERRIMI PANDECTARVM PRO
 FESSORIS PVBLICI IVDICII AVLICI SCABINATVS
 QVE AC ORDINIS IVRIDICI ASSESSORIS
 EMERITI

COLLEGAE DESIDERATISSIMI

QVVM

POMPA FVNEBRI

VIII. ID. MAI. AN. cl^o MCC. XVIII.

DEDVCERETVR

LVGVBRI CARMINE

PROSEQVEBATVR

ORDO IVRISCONSULTORVM

AK

.S\12

Horrida Phoebus ouans urebat cornua
Tauri,

Reddebatque nouo praegnantem lumi-
ne terram,

Prodiga se laetis ornabat foetibus arbor,

Caeruleis uiolis horti, campique, nitebant,

Dulciloquumque cauo ludebat gutture carmen

Turba uolans, efferre pedes cum Saxonis urbe,

Leucoride, Eusebie coepit, comitante Minerua,

Ad uirideis Albis ripas, ut pellere possent

Curas, quae nimia turbabant pectora mole.

Forte querebantur nostri de frigore secli,

Quo nec uerus amor diuini dogmata uerbi

Prosequitur, digne nec doctas ponderat arteis,

Quum tardo procul aspicerent accedere gressu

Matronam. Teneros pullato inuoluerat artus

Vestitu, passis & crinibus ora tegebat,

Effusis siccans lacrymis oculosque, genasque.

Protinus agnouit Themidem, perterrita luctu,

Pallas, & Eusebiae mox talia uerba locuta est :

Ecquid, chara Soror, passa est Rhamnusia Diua?

Quam uereor, noua damna sui ne fecerit aequi!

Dixerat. Illa pari ratione miserta Sororis,



Moxque ruens in complexus, ac oscula figens,
 Dic, inquit, dic, perque Stygem, dic, optuma, luctus
 Quis nouus ex tristi T'ua regna inuaferit orco.
 Illa diu siluit, tandem sed talia fatur:
 O utinam me tanta unam iactura feriret,
 Ferrem, leniremue modo quocunque dolores!
 At lugere uices cogor uestrasque, measque,
 Et commune malum. Fatis succumbere SVEVVS,
 SVEVVS, doctrina quo uix praestantior alter,
 SVEVVS, quem potuit uix quis superare labore,
 SVEVVS, qui nulli dicundo in iure secundus
 Relligione fuit, tandem succumbere fatis
 Insuperabilibus quoque proh! fuit ille coactus.
 Et Vos fecistis, noui, non damna minora
 Morte Viri talis, uideo quem plangere luctu
 Vos, chare, aequali. Parcis nil saeuus usquam
 est!

Sic ait. Alloquitur tristi quam uoce Minerua:
 O Themis, alma Soror, iuste mihi caussa querendi
 De SYEVO, e uiuis sublato, haud suppetit una.
 Olli etenim proh! qualis erat sapientia morum?
 Olli proh! tota in qualis prudentia uita?
 Qualem notitiam poterat cito promere rerum

212

Olim gestarum? felix quam pandere cauffas
Et cuiusque rei? sed nunc haec munera morte
Illius destructa iacent, atque obruta terris.
Dixerat. Eusebie at querulo haec sermone locuta
est:

SVEVE, mei parui certissima portio coetus,
SVEVE, Dei cultor perreligiosè potentis,
SVEVE, antiqua fides germana, ac nescia falsi,
Siccine Te pariter terrae nunc subtrahis? ingens
Atque Tui desiderium flagransque, relinquis?
Scilicet illa Tibi restabat gaudia uitae
Cernere, quae meditatus eras et nocte, dieque.
Quare composita confurgite mente, Sorores,
Ac Diui uotis hoc consecrate sepulchrum.
Sic ait. Haec iunctis sonuerunt uocibus hymnum,
Concinit aeternae Themidi quoque deditus ordo:

SVEVE·PROVT·LAETE·TVA·MENS·EXVLTAT·IN·ASTRIS
SIC·ET·SVB·TERRIS·TVA·MOLLITER·OSSA·QUIESCANT
TANTISPER·STABIT·MERITORVM·GLORIA·FLORENS
HARRISONO·CANVS·LAPSV·DVM·CORRVET·ORBIS

VITEMBERGAE
EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.



78 M 396

ULB Halle 3

001 514 261



SB.

V018



BEATISSIMVM OBITVM
 VIRI
 MAGNIFICI CONSVLTISSIMI ATQVE
 EXCELLENTISSIMI

DOMINVS
 GODOFRIDVS
 SVEVICVS

ICTI CELEBERRIMI PANDECTICORVM
 FESSORIS PVBLICI IVDICII AVVICI
 QVE AC ORDINIS IVRIDICI ASSESSORIS
 EMERITI

COLLEGAE DESIDERATISSIMO

QVVM
 POMPA FVNEBRI
 VIII. ID. MAL. AN. dno 1600 X

DEDVCERETVR
 LVGVBRI CARMINE
 PROSEQVEBATVR

ORDO IVRISCONSVLTI

